



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 43. Ordinum comitia; nec non Ferdinandum inter & Isabellam conventa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. comperto Henrici leviri sui obitu, protinus Segobiam venit, ut uxoris suæ jura tueretur.

§. XLIII.

Ordinum comitia; necnon Ferdinandum inter & Isabellam conventa.

Magna inter Proceres animorum contentione agitabatur quæstio, an Ferdinandus proprio vel non nisi uxorio nomine tanquam Isabellæ maritus in Regno Castellæ succederet. Hanc in rem coguntur Ordinum comitia, ubi inter Proceres conventum, foeminas e linea recta descendentes jure successionis potiores esse masculis lineæ collateralis, idque antiquis, crebrisque hæreditatis foemineæ exemplis comprobarunt. Nilominus Isabella, ut suum in Ferdinandum amorem, ac sinceram cum conjuge suo unionem luculento demonstraret argumento, gratum, ratumque habebat, ut Ferdinandus sibi in regiminis consortium adscisceretur, ac deinceps in Regiis tabulis, edictis, ac monetis prius Ferdinandi, dein Isabellæ nomen exprimeretur, atque in gentilitio Castellæ scuto Arragoniæ insignia adjungerentur; præterea sancitum, ut Isabellæ nomine omnes Castellæ arces obtinerentur, ac quæstores vectigalia administrarent; beneficia

beneficia ecclesiastica ad Reginae voluntatem sub utriusque nomine conferrentur, Sæcul. XV.
A.C. 1474.
populi ab ambobus, quando in eodem loco morantur, jus sibi dici peterent; si vero separati agunt, quo loco alteruter esset, suo quisque nomine justitiam administraret. Cunctis ita compositis Regni Proceres animum adjecerunt ad tollendos quosdam abusus, qui tam in justitiæ, quam ærarii regii administratione sub priori regimine irreperant. Præterea solemnem decernunt legationem ad Ludovicum XI. Galliarum Regem, ut avita amicitiae fœdera innovarentur, simulque Ruscinonensis Comitatus restitutio peteretur. Verum Rex, cum pro temporum ratione privatis semper commodis suis intentus esset, non solum Legatorum petito surdas præbebat aures, sed etiam adhuc alias urbes sibi subjicere animo agitabat, cum interea Ferdinandus & Isabella, ut solium suum firmarent, solliciti intestinis tumultibus agitantur.

§. XLIV.

Simeon Græco Patriarchatu Constantinopolitano exutus.

Ad finem hujus anni revocanda censetur expulsio Simeonis Græci Patriarchæ Constantinopolitani, qui cum Patriar-